

MARTINVS FABRI COMMENDATOR ARGENTINENSIS.



Martinus natus est Friburgi Brisgaudiae anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo. Ibicum felici ingenio esset praeditus, operam literis dedit, atque artium fundamenta fœliciter didicit. Inde Selestadium peruenit, atque in ea ciuitate Iohannitarum ordinem suscepit. In eo loco cum diu summa animi moderatione uixisset, ædis Iohannitarum Argentinæ Commendator electus est. Eam functionem is præclarè subiuit, atque cunctis acceptissimus extitit. Erant tum, iuxta Bercken oppidum Alsatiæ, antiquæ Templariorum ruinæ (qui olim in his locis una cum facello excisi erant) uerùm amœnæ & frugiferæ. Locus autem ad Commendatorem spectabat. Nam Templariorum bona Iohannitis atque ordini Theutonico cesserant. In eo loco Martinus pulcherrimum templum à fundamentis excitauit, atque loca circumiacentia pulchris ædificijs, & ad inhabitandum aptis, decorauit. In eo quoque nouo templo sibi sepulturam elegit. Cum hoc modo per plures annos his in locis præfuisset, tandem anno etatis quinquagesimo, salutis uero millesimo quingentesimo sexagesimo secundo obiit, atque in ædificata æde primus hominum sepultus quietit. Anon.